

Dissertatio medica, inauguralis, de peste ... / ex auctoritate ... Guilielmi Jacobi 's Gravesande ... pro gradu doctoratus ... publico ac solemniter examini subicit Wilhelmus Tiberius Hattinga ... Ad diem 18. Januarii 1724.

Contributors

Hattinga, Wilhelmus Tiberius.
Gravesande, Willem Jacob 's, 1688-1742.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

L. Bat : Joh. Arnold. Langerak, [1724]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ab2fmnkd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE

P E S T E.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. GUILIELMI JACOBI 's GRAVESANDÆ,
A.L.M. PHIL. ET J. U. DOCT. R. S. L. SOCII, ASTRO-
NOMIÆ ET MATHESEOS PROFESSORIS
ORDINARIJ;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Publico ac solemni Examini subicit

WILHELMUS TIBERIUS HATTINGA, *Friso.*

*Ad diem 18. Januarii 1724,
hora locoque solitis.*



L. BATAPUD JOH. ARNOLD. LANGERAK.

DE
P E S T E
INAUGURALIS
DISSERTATIO MEDICA

AVVENTE DEO TER OPT. MAX.
D. GUILIELMI JACOBI GRAVESANDI
A. M. PH. ET. U. DOCT. P. S. E. SOCI. ASTR.
NOMINE ET MATHEOS PROFESSORIS
ORDINARIIS.

SENATUS ACADEMICI CONSENSU
PRO GRADU DOCTORATUS
WILHELMUS TUBERIUS HATTINGA, P. S.
H. J. 18. JUNII 1794.
H. J. 18. JUNII 1794.

NOBILISSIMO, GRAVISSIMO;
MAGNIFICO, CONSULTISSIMO
AMPLISSIMOQUE

V I R O

D. D. ISACO HOORNBEECK,

Jcto, ILLUSTRISSIMORUM AC PRÆPOTENTIUM D. D. ORDINUM HOLLANDIÆ ET WEST-FRISIÆ SYNDICO MAGNO DIGNISSIMO, PRÆPOTENTIUM D. D. ORDINUM GENERALIUM FOEDERATI BELGII MEMBRO GRAVISSIMO, MAGNI SIGILLI CUSTODI FIDELISSIMO, FEUDORUM HOLLANDIÆ ET WEST-FRISIÆ ETC. PRÆFECTO VIGILANTISSIMO ETC. ETC.

FAUTORI ET PATRONO SUO OMNI HONORIS, OMNI REVERENTIÆ CULTU PERPETIM PROSEQUENDO, COLENDO, VENERANDO,

*Inaugurale hocce schediasma integerrimæ
devotionis tesseram seque simul ipsum,
ea qua decet reverentia*

D. D. D.

WILHELMUS TIBERIUS HATTINGA;

MAGNIFICENTISSIMO
MAGNIFICENTISSIMO
MAGNIFICENTISSIMO

V I R O

D. D. ISACO HOORNBECK

ILLUSTRISSIMORUM AC PRÆPO-
SITORUM D. D. ORDINUM HOLLAN-
DIÆ ET WEST-FRISIÆ SYNDICO MA-
GNO DIGNISSIMO, PRÆPOTENTISSIMO
D. D. ORDINUM GENERALIUM HORDE-
RATI BELGII, SENATU GRAVISSIMO,
MAGNI SIGILLI CUSTODI FIDELISSI-
MO, FLUDORUM HOLLANDIÆ ET
WEST-FRISIÆ, ETC. PRÆFECTO VIGI-
LANTISSIMO ETC. ETC.

MAIORI ET PATRONO SUO OMNI
HONORIS, OMNI REVERENTIÆ
CULTU PERPETUUM PROSECUTENDO,
COLENDO, VENERANDO,

Laat de heer, die de heer, die de heer,
de heer, die de heer, die de heer,
de heer, die de heer, die de heer,

D. D. D.

WILHELMUS TIBERIUS HATTINGA



DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

P E S T E.

P R O O E M I U M.

Tanto eorum numero, qui absoluto studio-
rum cursu in hac Academia dissertatio-
nibus dant profectuum suorum specimi-
na, tandem & ego adscribor. Quapro-
pter parere quoque necesse est mori A-
cademico, ut ad aliorum exemplum videam qualem-
cunque exitum laborum. Id solum desidero Lector,
atque id unice habeo in votis. Pro argumento ex in-
finitis fere morbis, quibus genus humanum infestari
solet, placuit eligere, & breviter exponere dirissi-
mum morbum Pestem: qua occasione fert animus qua-
dam de peste nupera Massiliensi in medium proferre,
A 3 cujus

cujus recens adhuc omnibus est memoria. Hujus morbi, quamquam maxime truculentus & gravis sit, tamen specimen aliquod exhibere volumus, & explicare conabimur; non quia vires nostras credimus adæquatas, ut ejus exhauriamus naturam; longe absit, ut hoc nobis arrogemus: at contra imbecillitatis nostræ probe conscii simus: sed quia, si quis alius considerationem & accuratam investigationem, morbus hic, meretur. Quò cognitâ tandem aliquomodo ejus naturâ, immaturum multorum obitum impedire, & sævitiam ejus demulcere nobis hominibus liceat. Id negotium maxime difficile sane non suscepissem, nisi mihi id imposuisset Academiae lex. Etenim quocunque flecto oculos, arduam invenio plane Medicorum artem, atque spinetis undequaque obsitam, ut felicissimos etiam deterreat; declarat id exemplum non unum ubi video viros admiraculum usque eruditos opinionum dissensione discrepare a paribus & imparibus oppugnari strenue & laborare sæpe. Tantæ prudentiæ est bene posse dignoscere quid & quo fundamento sit scribendum, dum ego felicem judico, qui id scripsit, quod manet inconcussum, & firmo nititur talo: sic necessarium mihi videtur insistere suffragiis aliorum, atque eorum sequi vestigia, quos judico probatissimos.

§. I.

Pestis, pestilentia, pestililas sunt synonyma sic dicta à πῆ-
σεν, vel a peflum id est deorsum in nihilum labi, vel à depascendo; quia instar perferi animalis consumit mortale genus: Cicero vocat Luem per excellentiam; quia omnem aliam luem suo inquinamento superat; quare etiam conta-
 gium

gium a contingendo simpliciter dicitur, tanquam morbus maxime contagiosus. Græcis vocatur Λοιμός, à λόμη lues, vel à λόμεν pernicies, excidium.

II. Pestis est morbus peracutus, epidemicus, & contagiosus, ortus ex penetrantissimo & singulari veneno, inducente febres validissimas, summas debilitates, plurimosque alios effectus, ut bubones, anthraces, exanthemata vel alia horrenda symptomata.

III. Ut ordine indicetur expliceturque pestis natura; præpositæ descriptionis declarationem ad rationis incudem vocaturus, vocum membrorumque singulorum expositionem aggredior &c.

Primo itaque est morbus peracutus, quia fere semper brevi tempore cum magno periculo vehementer currit, atque ante tertium, quintum, vel septimum diem vitâ privat, vel periculo liberat ægros.

IV. Morbus epidemicus vel communis dicitur pestis, quia originem ducit ex causa communi, ac multos simul in unâ regione, vel in pluribus simul invadit. Morbus epidemicus dupliciter considerari potest; primo nempe quatenus contagiosus, ut pestis; secundo quatenus non contagiosus, qualis sæpe oriri solet post cælum æstuosum, indeque stagnantium aquarum fætorem, hyemis tepores, & vapores terræ motibus excitatos: has calamitates sæpe secuti sunt morbi epidemici non contagiosi, qui multos omnium ordinum, atque ætatum consumpserunt; quare hi ab Historicis sæpe pestes vocati sunt, qui aliquando febrim quartanam, endemiosque morbos sine ulla differentia pestem vocavêre. Per concursum tamen harum aliarumque causarum oriuntur aliquando malignæ & peracutæ cum exanthematibus febres dictæ pestilentiales, quia earum symptomata aliquomodo conveniunt cum virium dejectione, summa anxietate aliisque symptomatibus pestis, cum non sunt vera pestis, quia ab hac longissime differunt causâ, velocitate, vehementiâ, contagione, & curatione: tales febres fuerunt, quibus, ut observavit Hippocrates, fervidi æstus unâ cum pluviis affiduis & ven-

ventis australibus præiverunt, quas tantum ἐπιδήμιον νόσημα vocat, nec mentionem facit de contagione.

V. Antedictas causas nihil per se ad veneni pestilentis generationem facere, exempla quam plurima & infinita fere docent: Aëris fervores intolerabiles, ut & ventos meridionales, siccitates ac hyemis tepores, ut plurimum animadversum est, & quidem optime a Diemerbroeck (a), nullas pestes excitasse: sic Medicorum & Historicorum observationes docent calidissimos non solum tempore verno, verum etiam tota æstate, ac autumno annos fuisse, (a quibus non valde differebat annus 1719.) nullas tamen tunc pestes, verum solummodo febres varias minime lethales viguisse. Contrarium quidem observavit Platerus (b), nempe pestem aliquando sine ulla aëris inclementia invadere: sic quoque Fernelius (c) narrat nonnunquam media hyeme invasisse pestem, æstate solutam, & sæpe ardentes æstates ab omni peste vacuas fuisse: & alio loco ita dicit, *annus ab hoc secundus omnium quos majorum memoria notaverat, toto orbe ferventissimus; maxime tamen salubris obtigit.* Observavit quoque Morellus (d) flante Borea pestem ferocius in suos cives excanduisse. Liquido ergo patet cælum æstuosum, ventos meridionales &c. non excitare pestem: (hæc quidem pesti præire possunt, quemadmodum annus calidissimus 1719 præivit pesti Massiliensi, tamen inde non ortam fuisse constat) sed quidem morbum epidemicum, cui aliquando per alias causas accedit pestis; ac tunc causæ hujus morbi epidemici sunt causæ pestis secundariæ.

VI. Pestis est morbus contagiosus, qualis nempe per occultum, penetrantissimum, & singulare venenum ab uno subjecto communicatur alii; venenum hoc occultum est, quia hucusque nemo perfecte illud descripsit, sic & plerorumque venenorum, ut morsus canis rabidi &c. natura occulta est; inde ejus effectus intueri nobis atque admirari tantum licet;

nam

(a) Lib. I. cap. 8.

(b) Prax. tract. 2. cap. 2. (c) lib. 2. de abdīt. cap. 12. & 13.

(d) de febr. purp. cap. 3.

nam illud intime cognoscere humanæ conditioni datum non est: hinc sennertus (a) ita scribit. *Qualis sit specifica veneni pestilentis natura & causa nemo unquam explicare potuit; & profecto talia sunt quæ latent animos temperatos, illudunt Curiosis.* Quamvis hoc venenum nobis ignotum sit, tamen a posterioribus concludere licet, tale adesse, quia in peste observantur iidem effectus, qui a veneno fieri solent, ut hoc clarius pateat, generaliter examinabimus quid sit venenum.

VII. Venenum itaque vocatur quod mortem subito inducit vi quadam singulari reddendo fluida circulationi inepta, hanc tollendo ex corde in pulmones, cerebellumque & ex iis rursus in cor: circulatio autem tolli potest corruptione liquidorum vel obstructione vasorum, liquida corrumpuntur si coagulantur vel nimis dissolvuntur, coagulum autem fit vel in venis per assumpta vel in pulmonibus per inspirata; vasa destruuntur quatenus ab acrimoniâ liquidis contentis per venena superinducta eroduntur; ergo omne quod singulari vi efficit liquidorum coagulationem aut nimiam dissolutionem vel vasorum erosionem externe vel interne applicatum est venenum: pestis itaque effectus, ut liquidorum coagulatio, (b) aut nimia dissolutio vel vasorum erosio inde fide-rationes, & Νεκρώσεις sæpe oriuntur, etiam fiunt a veneno: a quo ulterius fiunt pulsus parvus & obscurus, animi defectio, syncope, vomitio assidua, jactatio cum vigiliis, coloris corporis mutatio in nigrum lividumque colorem, vel macularum apparitio: si hæc diligenter perpenduntur, quis hæc non potius a veneno quam a calore aëris insolito, vel ab alia causa epidemia vel endemia, oriri censeat? Hermetici ab affectuum aliqua similitudine hoc inquinamentum assimularunt veneno napellino, arsenicali, aliisque similibus, ut occultam ejus naturam saltem aliqua comparatione illustrarent (c). Hoc venenum vero sæpe celeriori ac violentiori vi destruit corpus, quam ullum aliud, ac in momento operationem

B

suam

(a) Lib. de peste.

(b) vid. Lettre de Chicoigneau à Gouvin.
Lib. I. cap. 8. & Quercetan. in Alex. cap. 6.

(c) Diemerb.

suam sæpe edit: quemadmodum Mercurialis (a), Droëtius (b), Zacutus Lusitanus (c), & Paræus (d), testantur se vidisse nonnullos ipso momento quo inficerentur ex improvise peste extinctos fuisse; ex quibus satis intelligitur hoc venenum violentissime agere. Concludimus ergo tempore pestis revera dari venenum, & quidem infestissimum humano generi.

VIII. Jam inquirendum est, unde prius originem suam sumpsit hoc pestilens Græcis *Μίασμα* dictum venenum seu occultum pestilens seminarium? circa hujus originem ac causam in ea invenienda laborantes varii varie censuerunt. Galenus sentiebat id corruptione vel putrefactione aëris provenire, quæ magis pro effectu quam pro causâ assumi potest: quamplurimi astrorum varios motus & influentias; Helmontius Archæum suum irritatum; Willisius salem acidum; Sylvius salem alcalinum, & quidam alii vermes vel insecta per aërem dispersa censebant esse causam: omnes hæ causæ simul non tanti valent, quanti unicum Hippocratis το Θείον; quia ejus causa vel venenum pestilentielle excitatur ab irato Numine præternaturaliter. Hoc tam profanæ quam sacræ literæ confirmant: *his* vero constat intra minus quàm trium dierum spatium pestilentiam mortuos esse septuaginta millia Israëlitarum (e), hæc pestis non oriebatur per cælum æstuosum, vel terræ motum sive per fomitem ex aliis regionibus eo delatum; sed per Angelum de cælo: ac aliis quam plurimis sacræ scripturæ locis constat tales pestes causam a Deo sumentes sæpe fuisse, & quidem ob justissimam ipsius iram (f) propter mortalium delicta; sed hoc ulterius Theologis relinquimus. *Illis* vero confirmatur primam causam pestilentis seminarii ab irato divino ente oriri ut testantur Plutarchus (g), Livius (h). hinc peste grassante semper consulebant

[a] Lib. de peste cap. 18.

[b] consil. de peste cap. 3.

[c] Prax. Lib. 3. obs. 43.

[d] Lib. 21. cap. 17.

[e] 1. chron. cap. 21. v. 14.

[f] Exod. cap. 9. v. 15. Livit. cap. 26. &c.

[g] de vita Romuli,

[h] Lib. 2. cap. 45.

bant Deos de remediis, quia pro certo habebant ejus causam ab his ortam fuisse.

IX. Ex scriptis Medicorum tam veterum quam recentiorum nihil ad bene cognoscendam originem ac causam exhausti potest, quamvis hoc tempore de his in Galliâ quam maxime disputent, ita ut ingens tractatum numerus in lucem prodierit. Veteres quamplurimi consentiebant hoc venenum oriri ex causa mentis humanæ aciem transcendente: hanc igitur ut manum ferientis Dei, magis venerati, quam ulteriori, & otiosâ fortassis indagine, scrutati sunt. Recentiores non omnes è cælo causas petunt cum pestis genium, originemque invenisse rati sunt, dicentes illam oriri ex aëre peculiariter corrupto vel ex effluviis venenosis, ab aëris nitro nimis aculeato & evecto dependentibus, vel aliis naturæ perturbatæ cloacis. Verum annon post vastissima tot descriptionum explicationumque volumina veneni hujus ortus & natura æque ac antea suis involuta tenebris in Democriti puteo delitescat? nonne ideo necessario a causa prorsus & omnino singulari dependere debet? potius ergo cum Hippocrate dicimus causam esse τὸ Θεῖον. Non necessarium est ut venenum in omnibus pestiferis constitutionibus per illud de novo excitetur; nam semel excitatum per longissimum temporis spatium communicari, indeque multiplicari potest; & præsertim in regionibus australibus & orientalibus, ibi fere semper in hac vel illa plaga pestis sævit, & suscitatur per contagium, imo ibi sæpe in eodem loco pestis perpetua est: sic Prosper Alpinus (a) narrat Cayri pestem fere semper grassari, & intra septem mensium spatium quinquies centena hominum millia peste mortua esse: & ut testatur Radzevelius (b), ibi aliquando ad decem dies spatio viginti quatuor horarum viginti millia hominum peste sublata sunt. Dicit quoque Prosper Alpinus (c) Ægyptum quotannis octo integros

B 2

anni

[a] de med. Ægyptior. Lib. 1. cap. 15.

[b] in itin. Hierosol.

[c] de med. Ægypt. Lib. 1. Cap. 17.

anni menses pestem pati per contagium eo delatam e Græciæ, Syriæ, ac Barbariæ locis; indeque ad nos Europæos etiam plerumque adfertur, atque ulterius tunc communicatur modis sequentibus.

X. Venenum ante dictum communicatur vel immediate per simplicem contactum; vel mediate per fomitem; sive ad distantiam per aërem.

XI. Per simplicem contactum, inde hujus veneni Communicatio contagium vocatur, communicatur, quando immediate nullo aëre interveniente poros corporis sani intrat ac transmittitur unà cum transpirantibus exhalationibus ex corpore morbido. Postquam vero intravit cum cæteris humoribus circumvehitur, atque inficiendo venenatam pestiferamque suam sequitur indolem.

XII. Praeterea per fomitem communicatio veneni tam frequens est, ut vix unquam pestis nisi à fomite, & quidem in locis saluberrimis, ibi nulla morbosa vel insolita aëris constitutio prægressa fuerit, excitetur. Fomes fit quando alicujus corporis inanimati, laxi, porosi ut lanei, linei &c. poris quasi receptaculis venenum pestis se insinuat ac inhæret, & ibi minori vel majori temporis spatio quietè latens manet, usquedum aër liberior vel calidior accedit, qui illud movet, ac secum vehit: pluribus ergo mercibus, vestibus, aliisque rebus fomes inhærere potest, atque deferri ad alias regiones, quamvis longissime distitas, quod evidentissime ex sequentibus exemplis patet.

XIII. Ut itaque confirmetur per fomitem communicari pestem, allegabimus historias quasdam ab Auctoribus fide dignissimis, traditas. Jam a tempore Thucydidis hoc notum fuit, qui ipse refert, contagium pestilens per fomitem ex Æthiopia in Græciam advenisse. Galenus (a) idem dicit de peste attica. Constat teste Fracastorio (b) per vestem pelliceam viginti quinque Germanos peste extinctos fuisse; quia

[a] Lib. 1. de differ. febr. cap. 4.

[b] Lib. 2. de morb. contag. cap. 7. anno 1511.

quia uno defuncto, alius induebat illam vestem. Sic anno 1640 in Sicilia gravissima pestis oriebatur, postquam hujus incolæ emerant à piratis quibusdam prædam, quæ capta erat in Alexandria tractu, ibi pestis grassabatur (a). Sennertus (b) narrat per fomitem linteo inhærentem excitatam fuisse pestem, in quo contagium conclusum hæssset quatuordecim annis, illam etiam communicatam fuisse urbibus & locis vicinis. Diemerbroek (c) narrat in peste noviomagenfi quamplurimos infectos fuisse è suppellectili ex infectis ædibus delata ac vendita auctione publica; inter alios rusticus cum uxore, postquam se imposuerant tegmini lecti tali auctione parato, prima nocte peste corripiebantur. Sic pestis Amstelodamensis a fomite ex Algaria Turcarum, ut & Smyrna per navem aliquam cum mercaturis & hominibus infectis allato, circa autumnum anni 1663 vigere cœpit, ac brevi majora incrementa sumpsit & sequenti æstate Lugduno Batavorum, Hagæ Comitum, Dordraci, pluribusque urbibus, & pagis fuit communicata. Sic certe constat nuper in urbe Massiliâ pestem ortam fuisse a fomite mercibus eò ex infectâ plagâ Syriæ convectis inhærente.

XIV. Venenum (§. 7.) semel excitatum (8. 9.) vel per fomitem (12) propagatum, communicatur ulterius ad distantiam per aërem, quo ut vehiculo vehitur vel ad aliquod corpus inanimatum, tunc alius fit fomes, vel ad corpus animatum, in quo à concepto miasmate particulas quasdam in ipsius naturam mutante, alia generantur quæ undique de corpore per transpirationem visibilem ac invisibilem exspirant & intrant in aërem, quo ulterius vehi, diffundi, & disseminari possunt ad alia corpora, & in his idem ac in priori efficiunt, & morbum plane similem prioris infecti corporis, ex quo producta erant, communicant (quod proprie contagium dicitur); hinc quo miasmata hæc magis communi-

B 3

cen-

[a] Vide Reinesium Lib. 1. Sect. 3. cap. 6.

[b] Lib. 4. de febr. cap. 3.

[c] Lib. 2. cap. 3. annotat. xi. & Lib. 1. cap. 8.

centur, eo magis augeantur & multiplicentur: quapropter contagium tantos facit progressus.

Ex dictis liquet varios contagii esse gradus: primus fit si excitetur (8 9.) aut ad aliquem locum advehatur (12) venenum pestiferum: secundus fit per morbidas exhalationes corporum per illud venenum advectum infectorum.

XV. Ut Communicetur hoc venenum modis jam explicatis cum effectu alicui corpori viventi, debet corpus hoc habere aptam dispositionem illud recipiendi, si talis dispositio non adest, intactum ab hoc veneno manebit, etiamsi in medio pestiferorum cadaverum dormiverit, ut docet casus cujusdam ebrii, qui sopitus vino, extensus humi jacebat in platea quadam publica Lugduni, cum ibi pestis grassabatur, & ut mortuus cum tetris cadaveribus pestiferis plaustro exportabatur ad Polyandriion, ibi postquam abruperat somnos non diu morabatur, neque gratias agebat Vespillonibus, qui ipsum jam ante mortem cohonestaverant tam egregia pompâ funebri; exinde tamen nullum inquinamentum contraxit ac sanus mansit (a), sic quibusdam contigit ut convixerint & dormiverint cum peste laborantibus, neque infecti fuerint, qui tamen per vestes suas infectas communicaverunt aliis, qui habebant dispositionem. Hanc dispositionem vero aptiorem unus habet quam alius, inde quidem afficiuntur in initio morbi, alii vero incipiunt tantum laborare, cum venenum jam maxime accrevit ac multiplicatum est, quia minorem aptitudinem recipiendi venenum habebant, quam primi infecti: nam quod pestilens inquinamentum citius vel serius hominem afficiat, dependet tam à majori vel minori veneni efficacia ac quantitate, quam à majore vel minore aptitudine corporis quod invadit: hoc idem fit in aliis venenis; eadem vero veneni dosis alium statim, alium post aliquod tempus, alium gravius, alium levius, alium fere nihil afficit: sic purgantia citius aut tardius, levius aut vehementius pro varia corporum constitutione operantur.

XVI.

(a) Pestalossi part. I. art. 3. point. 5.

XVI. Hæc aptitudo non provenire videtur ex malâ corporum vel humorum constitutione, vel morbosâ quadam dispositione; quia optime valentes, ac robustissimi, aliquando prius afficiuntur, sed magis ex occultâ quadam naturæ corporis proprietate, quæ fortè explicari posset, si venenum ipsum ad quod recipiendum requiritur, bene cognoscebatur.

Hæc aptitudo non omnibus in eodem loco viventibus adest, aliter enim pestis multiplicando per communicationem contagii non cessaret antequam infecisset omnia corpora, quia ultima infecta sunt origines & fomites æquè contagiosa ac priora: hinc venenum tantum multiplicando ac inficiendo perseverat in eodem loco usquedum nullis corporibus amplius apte dispositis ad hoc accipiendum occurrit: tunc vero inficiendo cessat, ac reliqua intacta relinquit, tamen non statim sed sensim dispergitur: hoc inde liquet, quia sæpissime homines nimis cito post fugam redeunt in locum, ibi pestis paulo antè sævit, infecti sunt: inde patet venenum per aliquod tempus in aëre manere, postea vero aër purior fit per ventos, cum non amplius accedunt pestiferæ exhalationes, ac tunc omninò sensim dispergitur.

XVII. Aliæ sunt causæ aptitudinem seminarium pestilentielle recipiendi minuentes, aliæ sunt augentes: illæ vero sunt Boreas, magnum frigus, hinc raro hyemali gelido tempore graviter sævit pestis, neque tam violenter grassatur in plagis septentrionalibus, ita ut sæpe calamitatis hujus inclementia minuatur ea proportionem, qua regiones magis ad septentrionem sitæ sint, sic Muscovia raro experta fuit ejus violentiam; hæ vero considerari possunt ut causæ secundariæ, quæ corpora solummodo præparant, & ideo dispositionem venenum recipiendi augent; tales sunt causæ morborum epidemicorum (§ 4) descriptæ. Tum etiam his addi possunt animi pathemata inter quæ metus, horror, ira, luctus, vel tristitia quidem præcipua sunt:

XVIII. Ex omnibus jam dictis de contagione evidentissime patet pestem morbum maxime contagiosum esse: tamen

a quibusdam celebribus viris (a) non nisi ficta contagio æstimatur, quia ipsi ac alii medici Massiliæ cum peste laborantibus conversantes peste non laboraverunt. Certe non cuius contigit fælix hic eventus, nam numerus Medicorum vel Chyrurgorum peste extinctorum decies fuit major numero eorum quibus pestis pepercit: quod patuit cum ex centum vel pluribus chyrurgiis qui Parisiis, & ex omnibus fere Galliæ locis, Massiliam, vel in Provinciam, se contulissent, quatuordecim tantum redierunt; cæteris vero peste extinctis: hic videmus quod

In ipsos sæva medentes

Irrumpit clades, obsuntque aucturibus artes. (b)

Hinc liquet quam periculosum sit munus Chyrurgorum, quia magis quam Medici ægrotantium sordibus ut Bubonibus &c. appropinquant. Si hæc & alia jam dicta ad rationis incudem ducemus, clare videbimus contra omnem rationem atque experientiam negari pestem esse contagiosam. Ut hoc evidentius pateat, non inutile censeo his adjungere pestis massiliensis principii, & progressus historiam, collectam è Diario à Senatore (b) in urbe Massiliâ cum pestis ibi nuper grassabatur conscripto.

XIX. Ab initio anni 1720 pestis grassabatur per omnes fere Palestinæ & syriæ urbes: ex his Orientis locis maritimis mense Februario decedens navis appulsa fuit Massiliam mense Majo, cum jam sex homines febribus malignis mortui erant, ideo navis hæc mittebatur ad insulam, non longe ab hac urbe diffitam; sed merces deponebantur in urbe ad agendam indictivam moram quadragenariam (gallice *quarantaine*) interim septem mortui sunt, horumque cadavera inspecta sunt a Chyrurgo, qui negabat, peste hæc extinctorum fuisse, quamvis apparerent bubones: sed ignorantia poenas brevi expendeat, quando ipse cum sua familia peste moriebatur. Hoc malum manifestabat se prius in ea urbis regione, quæ

[a] Chicoyneau &c. (b) Ovid. metamorph. Lib 7.

[c] Sr. Pichatty de croissainte journal &c.

quæ non nisi a plebecula colebatur, quæ erat eadem, in quam merces quædam ex dicta navi retractæ erant: ex hac vero cito progrediebatur vicatim per totam urbem. Post hæc inspectis cadaveribus, nemo dubitabat, quin pestis communicata esset per merces ex locis dictis navi eo delatas. Tunc nocte auctoritate publicâ mortui defodiebantur in calcem vivam, (quod per omne pestilens tempus postea semper fiebat); & ægrotantes cum cæteris in iisdem ædibus degentibus ducebantur in Valetudinaria, horumque foribus ædium initio murus obdebatur: sed cum pestis postea tantos progressus faciebat, fores tantum custodiebantur, ne quis his exiret vel intraret. Mense Augusto cujusdam Medici consilio & Scabinorum jussu ab omnibus eadem hora extruebantur foci ubique circa urbis mœnia, & in omnibus plateis ac viis publicis, & ligna undique collecta super his focis tam large reponebantur, ut postea horum maxima penuria esset. Medici donabantur liberali stipendio & vestibus linteis incensatis, ut alacrius hoc munus obirent. In ædibus sacris, collegiis, scholis &c. prohibebantur exercitationes publicæ. Maxima quantitas sulphuris inter plebem distribuebatur, ex quo ubique suffimenta fiebant. Hæc & quamplurima alia tam ad prophylaxin politicam quam medicam spectantia, auctoritate publica fiebant: cum interim pestis maximos progressus faciebat, & tam crudeliter sæviebat ut fere omnes ægrotantes brevi morerentur, & ut inexplicabili malignitate omnium fere remediorum efficaciam eludere videretur: inde facile intellectu omnibus erat, morbum hunc veram esse pestem propter velocitatem, vehementiam, contagionem &c. quapropter plurimi suffugiebant, inter quos erant Scabini, Nosocomiorum Curatores, operarii, libitinarii, alii-que maxime necessarii, qui manus auxiliares præbere possent ægrotantibus; exinde nulli fere vespillones inveniebantur ut aperirent extra mœnia fossas, & illi qui adhuc supererant vix attigissent cadavera ad exportanda in fossas dictas quin peste perirent: ita ut ubique in plateis cumularentur pestifera putrefacta cadavera, quibus quotidie fere mille accedebant,

bant, maxime horribilia adspectu: præterea omnes sordes ut emplastra quæ Bubonibus applicata fuissent è fenestris in vias publicas vel in faciem sive vestes casu transeuntium projiciebantur.

Gravissima hæc pestis ita grassari continuans usque ad initium Mensis Octobris, post Boreæ flatum vehementissimum paulatim coepit declinare, ægrotantes plurimi incæperunt convalescere, & morbus facilius curatu Medicis evasit. Sequenti Mense Septembri magis adhuc mitigata est pestis, & tandem Mensi Decembri fere cessavit, accedente hyeme: Anno sequente cessavit postquam iterum grassata esset pestis sed longe minori violentia; communicato interim urbibus & locis vicinis malo.

XX. Prælibatis pestis, qua primis, qua secundariis, causis; ad dirissimi morbi symptomata ulterius progrediar. Hæc præter accessionem generaliore cum febrili alteratione stipatam, maximam virium prostrationem, anxietatem, & cæteras infirmorum quærelas; nimirum sunt Bubones, Anthraces, variique generis exanthemata, quibus durante infectione præ reliquis crebrius affliguntur ægri: hæc cum aliis paucis morbis tantum communia, sed pesti magis propria sunt. Cætera symptomata minus propria, & cum pluribus aliis morbis communia adumbravi modo rudioribus lineamentis, quia occasio hæc tractandi simul cum pestis Diagnosi dabitur. Primo igitur de Bubone, qui est tumor præternaturalis in glandulis inguinalibus, si accidit post axillas vocatur Phygethlon, Latine Panus, si in glandulis post aures, Parotis dicitur: oritur hic tumor in glandulis vel inflammatis, vel suppuratis vel scirrhosis. Hi cum etiam aliis morbis proprii sint, caute distinguendi sunt, utrum pestilentes, vel veneri. Bubones pestem concomitantes facile a veneris per ipsam pestem, gravissimorumque reliquorum accidentium apparitionem discerni possunt. Eadem ratio est de Anthracibus, latine Carbunculis, Arabibus ignis sacer & Pruna, est partis alicujus gangræna, indeque paulo post sphacelus variis in locis ut modo in Thorace, modo in Abdomine, modo

modò in Brachiis, modo in interioribus corporis partibus, absque suppuratione emergens; initium plerumque sumit ab exili pustulâ cum acri dolore, interdum a pluribus parvis pustulis, seu vesiculis, paulo post in unam vesiculam coëuntibus, magis magisque emoritur, ac nigrum, vel cinereum colorem acquirit, exedens cum foetore magno. Differunt hi inter se quod alii benigniores extra tempus pestis homines corripiant tam sævis non conjuncti symptomatibus: alii in tumorem elati ulcus demum constituunt, partes vicinas erodens. Hi quamvis indiscriminatim in omnibus ferme corporis partibus observati sint, oriuntur plerumque in partibus nervosis, membranosis & tendinosis, inde dolor ille tensissimus. A Carbunculis quoad malignitatem parum differunt exanthemata maligna, quæ plerumque granum piperis referentes, sunt coloris obscure purpurei, rubræ, subnigricantis alteriusve, prorsus sine tumore & dolore, hinc differunt ab exanthematibus Variolarum vel Morbillorum, præterea periculosiores sunt quam Carbunculi aut Bubones, non ut causæ, sed ut signa: quia in his cor valet expellere venenum ad extrema, & in unum locum, in illis vero vis vitæ adeo debilis est, ut nec venenum foras expelli, nec circulatio amplius in exterioribus vasis suscitari possit, quod brevi secuturæ mortis indicium est; unde fit quod ex sexcentis peste laborantibus vix unus evadat; cui exanthemata in cute apparent. Si hæc tria nempe Bubo, Anthrax & Exanthemata maligna descripta ægrotantibus adsunt, & plures similiter ægrotant, & ex his plures intereunt, & denique si contagio adest certum indicium pestilentiae pathognomicum si ullum datur, habetur, & quidem indubitabile si sequentia signa diagnostica accedunt.

XXI. Postquam παθολογικῶς pestem ob oculos posuimus, nunc ad eandem σημειωτικῶς tractandam descendimus. Signa vero pestis trifariam dividuntur ab auctoribus nimirum in prognostica pestis futuræ five præsagientia; Diagnostica five præsentem manifestentia; & Prognostica five eventum, naturam, periculum pestis a complicatorum symptomatum indole declarantia.

Prognostica pestis futuræ auctoribus esse traduntur siderum quædam conjunctiones ut Saturni, Jovis & Martis; has non magni faciendas esse satis demonstraverunt alii (a): armentorum & pecudum interitus, ut clades bovina, canina &c. unde pestis ortum duxisset quæ Æginam insulam exhaustit, canente Virgilio;

Strage canum primò, volucrumque oviumque, boumque. &c. Tum quoque ingens insectorum copia, mulierum gravidarum abortus, bella, inopia, annonæ caritas ad præviorem victum compellens, vegetabilium & fructuum marcor, morbi epidemici variolosi, morbillosi, febres miliares, dysentericæ, pleuriticæ, cæteræque petechiales, & exanthematicæ malignæ & inflammatoriæ. Præterea causæ enumeratæ (§. 4. 5.) secundariæ, quibus sæpe oritur morbus epidemicus, per quem corpora disponuntur ad recipiendum venenum, quod aliter fortè evanuisset. Auctores annotaverunt ut signum præfagiens, & aliquando ut causam pestis si tantum ex his omnibus unum contigisset, quod facile fieri potest, nam raro in una vel alia regione non adest unum ex his: ita ut si hæc omnia omni tempore in omni regione annotassent, satis patuisset, hæc sexcenties, non semel quidem pestem, contigisse.

XXII. Jam signa Diagnostica proprius ad scopum nostrum pertinentia, sequuntur, quæ dividuntur vel in pathognomica sive specialia de quibus jam egimus (§. 20.), vel in magis generalia, quæ plerumque sunt horror prægressus & subsequens corporis æstus plus minusve intensus, conjunctus cum leviori, nunc intensiori siti, faucium ariditate, linguæ scabritie, cui aliquando conjunguntur virium prostratio, vertigo, cephalalgia, corporis jactatio, palpitatio cordis, nausea, vomitus, singultus, cardialgia, anxietas præcordiorum; in aliis deliria, pervigilia, in aliis profundus sopor; visus turbidus cum hæmorrhagiis, insultibus spasmodicis; pulsus plerumque debilis, inæqualis; urina sæpissime sanorum simi-

(a) Diemerb. Lib. I. Cap. 8. probl. 2. & annotat. 8.

milis, in aliis diversa est pro varietate accedentium; in aliis subita virium dejectio ab initio morbi, in aliis vires robustæ ad mortem usque manent; calor in aliis naturalis in aliis vehementis & ardens: hinc ab Ovidio (a) non male describuntur quædam signa & symptomata pestis cum dicit;

Viscera torrentur primò, flammæque latentis

Indicium rubor est, & ductus anhelitus ægrè.

Aspera lingua tumet, trepidisque arentia venis

Ora patent; auræque graves captantur hiatu,

Non stratum, non ulla pati velamina possunt:

Dura sed in terrâ ponunt præcordia, nec fit

Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet. &c.

Præter signa & symptomata innumerabilia alia sunt, quæ maxime differunt pro varia peste, loco & tempore; quorum descriptionem vastissimis variorum Auctorum voluminibus comprehensam, pagellæ nostræ non permittant: itaque nec crambem ab aliis ad nauseam toties coctam, recoquam tantum antedictis adjungam signorum & symptomatum brevem relationem, conscriptam a viris celeberrimis (b) de nupera peste Massiliensi.

XXIII. Signa & symptomata sævissimæ illius pestis reducuntur ad quinque classes, quarum prima continet sequentia.

Sunt nimirum sensus horripulationis major vel minor; pulsus parvus, debilis, tardus, inæqualis, profundus; dolor capitis cum sensu stupefacto; oculi fixi, vagi, vivido colore ac splendore destituti, indicantes terrorem & desperationem; vox tarda, sæpe interrupta, querula; lingua fere semper initio alba, postea sicca, rubra, nigra, aspera; facies pallidi, plumbei, excocti coloris, mortis effigiei similis; cardialgia; corporis jactatio; virium generalis prostratio; mens confusa; sopor, nausea, vomitus &c.

Ad secundam classem pertinent horror & dolor capitis, ut in præcedenti, sed pulsus celer, plenus, se subducens levi pressu; calor moderatus ad exteriora, ar-

C 3

dens

(a) Metamorph. Lib. 7.
Soulie.

(b.) Chicoygneau, Verni,

dens in interioribus; lingua alba, subrubra; vox celeris, balba, iracunda; oculi subrubri, fixi, ardentes; color faciei ruber, aliquando sublividus; cardialgia, tamen non ita frequens ut in præcedenti classe; respiratio celeris & difficilis, profunda five lenta sine dolore vel tussi; nausea; vomitus; dejectio alvi sine dolore abdominis; deliria; urina sanorum sæpe similis, aliquando turbida, subnigra, alba vel sanguinea, quæ corpus debile reddebat; aliquando hæmorrhagia, virium maxima dejectio; ægri affecti his symptomatibus, ab initio ita metuebant mortem, ut omnino desperata esset sanitatis restitutio: his in initio vel in progressu oriebantur Bubones acerrimum dolorem inducentes; tum etiam Carbunculi, & pustulæ albæ, lividæ, nigræ per omnem corporis ambitum dispersæ.

Ad tertiam classẽ pertinent symptomata præcedentis, quibus accedit prima classis.

Ad quartam classẽ reducuntur symptomata secundæ classis, quæ evanescent secundo aut tertio die; tum accedebant eruptiones maxime notabiles Bubonum & Carbonum, qui quotidie majores fiebant, indeque postea aperiebantur & suppurabantur, ita ut æger optime liberaretur ab hoc vitæ inimico.

Ad quintam denique classẽ pertinent tantum Bubones & Carbores, quæ sensim elevabantur sine ullo incommodo, & facile suppurabantur, aliquando scirrhusi fiebant, aliquando evanescebant, nullâ observata diætâ, ne ullo quidem vestigio relicto. Multi ægrotantes his symptomatibus ubique in plateis videbantur; horum plus quam viginti millia erant. Si pestis hæc per mitiora illa symptomata non pepercisset pluribus ægrotis, quarta civium pars non superstes esset.

XXIV. Signa prognostica hujus pestis, quæ mortem indicabant erant omnia symptomata primæ classis (§ 23): nam, qui his afficiebantur, spatio aliquot horarum, vel ad plurimum duorum dierum, peribant aliquando cum motibus convulsivis, sine ulla eruptione, vel tumore.

Ægri secundæ classis non tam cito exstinguebantur, tamen moriebantur post aliquot dies, cum signis inflammationis & gangræ-

græna quo robustiores & magis plethorici erant, ea minus evadebant. Rarissime ægrotantes tertiæ classis restituebantur.

Duæ classes sequentes plerumque sanitatis restitutionem præstabant.

In omni peste fere differunt signa prognostica, præterea quam maxime fallacia sunt & incerta, ita ut sæpe quoad prognosin hujus morbi maxime decipiantur Medici; inde hi, de morbi hujus eventu judicium terre licet rogati, dissimulare consueverunt, ne triumphum ante victoriam canentes risui exponantur: norunt enim cum optimis signis sæpe mori, & cum pessimis nonnunquam evadere ægrotantes. Magis tamen certa quoad eventum salubrem esse plurimi docent auctores; nimirum in primo morbi insultu, sive initio, proportionatos, largosque, sudores, & eruptiones promptas, maturas, magisque superficiales numero & indole sphærice Bubonum & Carbonum. Contra plerumque mortem annunciant petechiæ pestilenciales, ut & Bubones, aut Anthraces ad interiores, vel nobiliores corporis partes, tum quoque vomitus materiæ nigricantis & foetidæ, pertinacius hærentes, dysenteriæ, diarrhææ, hæmorrhagiæ, sopor, motus convulsivus, deliria &c. Pro anni temporum vel ætatum diversitate signa diagnostica differunt. Sic plethoricos atque melancholicos Juvenes usque ad quadragesimum ætatis annum periculo infectionis magis expositos esse, quam senes, eventus omnis pestis fere docuit. Simul quoque observatum est, podagricos vel nunquam, vel rarissime infectos fuisse: ita ut Magnatibus, ditioribusque sæpe immunitatis a peste privilegium indultum sit, quod ipsis in pestilenti constitutione magnum certe adfert solamen.

XXV. Præmissis naturâ, & signis pestis ad ὑγιεινὴν pervenio: quæ vel προφυλακτικὴ vel θεραπευτικὴ.

Ἑγιεινὴ προφυλακτικὴ est vel πολιτικὴ, vel ἰατρικὴ.

Πολιτικὴ fit 1^o si pestis grassantis in regione vicinâ communicatio impeditur: vel fit 2^o si progressui ejus jam inchoatæ resistitur.

Primum fit per quadragesimalem stationem imponendam iis, qui ex regionibus infectis veniunt, hæc in Gallia, Italia

lia, aliisque regionibus maxime in usu est. Per hoc tempus vestes & aliæ res, quibus fomes inhærere potest, expositæ aëri, amittunt inquinamentum nam illud paulatim solvitur, attenuatur, dissipatur & sursum in aërem adscendit, ita ut penitus evanescat, sine ullo incommodo inferendo iis, qui longe ab eo versantur. Tunc per Edicta publicata, quæ impediunt, ne aliquæ merces, quibus fomitem inhærere suspicantur, ex locis infectis adferantur. Hæc maxime necessaria esse ad pestis originem per fomitem avertendam, nemo inficias ibit. Cuique enim satis notum est, quam alacriter hac in re cum Dei clementiâ vigilaverunt Præpotentes Republicæ nostræ Administratores, cum nuper urbes quædam regionis nobis vicinæ peste infestarentur: per Horum publicata Edicta nemini ignotum est, quænam permittantur advehi ex loco infecto, nempe illa, quibus fomes non inhærere solet, & quænam non advehenda, scilicet illa, quibus fomitem inhærere suspicantur; ergo de his jam non plura dicemus.

Posterius, nempe impedire progressum, fit, si curatur, ut pestis aliunde per fomitem allata, non multum dessemine-
tur, sed citissime extinguatur, & quidem ab initio maximi momenti est, nam hic morbus morâ brevi admodum tempore invalescit; ergo sequamur Ovidii consilium ubi canit.

Opprime dum nova sunt subiti mala semina morbi

Et tuus incipiens ire resistat equus.

Ut hæc fiant oportet Magistratum politicum se detinere a fuga: officii enim ratio postulat, subditos ægros non minus curare quam sanos. Nunquam lites plures quam tempore pestis moventur propter controversias inter ægros & sanos intercedentes. Opus etiam imprimis est imperio & auctoritate ad ordinem in omnibus observandum & confusiones evitandas, quæ contagium augere possunt. Hinc male egerunt scriptores, qui ad pestem evitandam consiliantur fugam, quod hoc versiculo exprimunt.

Hæc tria tabificam tollunt adverbia pestem

Mox, longe, tarde, cede, recede, redi.

Certe non diligenter ita persuadenda hæc, quia homines plerumque adeo fideliter hæc observant, ut sæpe res politicæ Magistratibus, ægrotantes Theologis, Medicis, Chyrgis, aliisque hominibus, qui manus auxiliares & necessaria ægrotis præbere possunt, egant: sicut hoc nuper factum est in peste Massiliensi, ut annotavimus (§. 19). Cætus plebeji, aliique publici conventus impediendi sunt, ne inter se morbum communicent: ut ab omnibus observatum est in magnis urbibus citissime contagium progredi, quia plateæ semper scatent hominibus, inter quos etiam infecti plerumque inveniuntur, in quorum usum Valetudinaria construi solent extra urbem, ut pauperes ægrotantes recipiantur: ob hanc causam infecti convalescentes non ante in publicum prodire debent, quam restituta ipsis sit sanitas, & confirmatæ vires, ne foedo aspectu aliis metum injiciant, vel luem communicent. Tunc quoque necesse est ut ægrorum cura demandetur expertis ac Medicinæ peritis, neque ineptis ac stolidis Chyrgis; de quibus ita dicit Diemerbroeck: (a) *horum temerariâ ignorantia innumeri pereunt, qui a prudentibus Medicis servari potuissent: cujus rei nos in hac peste a tribus quatuorve talibus ignavis asinis multa perpetrata exempla vidimus. Neque id mirum nam cum sunt Medicinæ prorsus ignari, nec morbum nec curationis modum, nec medicamentorum vires noverunt; atque hinc fit quod æque facile venenum quam alexiterium porrigant, & quos corroborare oportet, detracta sanguine labefaciunt, quos propinato antidoto convenit erigere, dato catartico dissolvunt.* Cadavera hoc tempore peste extincta defodienda sunt in calcem vivam extra urbis mœnia quam citissime, tamen prudenter agi debet, ne aliquando adhuc viventes sepeliantur; ut fœminæ cuidam contingebat Coloniae Agrippinæ, quæ peste mortua videbatur, ac nimis cito sepeliebatur, & cum aliqui media nocte post apertum sepulcrum appropinquebant cum ardenti face, qui furarentur annulum nuptialem, quem maritus mortuæ manui abstrahere noluiisset: fœmina se erigebat,

D

bat,

(a) Lib. 2. cap. 3. annotat. 20.

bat, & domum redibat cum ardenti face, quam fures omiserant, quia propter metum citissime fugam capiebant. (a)

XXVI. Ut propius ad scopum nostrum accedamus, videndum jam quænam ὑγιεινὴ, προφυλακτικὴ, ἰατρικὴ nobis præscribit. Quatenus hæc sit διαίτητικὴ indicat si ullo tempore, certe in constitutione pestilenti, exquisitam observationem sex Rerum non naturalium, scilicet aëris, cibi & potus, excretorum & retentorum, motus & quietis, somni & vigiliarum, ac animi pathematum. Aër imprimis purificatur vapore vel asperfione aceti, vel hoc ignitis lapidibus infuso; accensione pulveris pyrii; suffumigio Baccarum Juniperi, Benzoïni, Myrrhæ, Sulphuris, Thuris; tunc quoque ignibus persæpe constructis tam in publicis quam in privatis locis ex ligno Juniperino vel fraxineo: cibus facilis digestionis sit, neque sine hoc assumpto quis matutino tempore in publicum prodire debet; potus Vini non dulcis nec fortis, & Cerevisiæ mediocris & tenuis sit. Exercitatio corporis moderata. A Venere continentia, nisi fiat sine voluptate, sed an hoc fieri possit valde dubitamus; melius ergo se abstinere, quia ab omni tempore observatum est, omnes violentos animi motus corpora quam maxime disponere ad pestem recipiendam; ob eandem causam alia quoque vehementia animi pathemata cane pejus & angue fugienda ut ira, metus, terror, ut & tristitia cujus optimum Antidotum est Musica & Vinum moderate sumptum, quia lætitiā dat, & curas pellit ut canit Ovidius;

Cura fugit, multo diluiturque mero.

Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit

Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.

Jam quatenus προφυλακτικὴ sit φαρμακευτικὴ præmunit corpora versus venenum pestilens per Antidota; quæ corporibus qualitatem ut dicunt veneno pestilenti oppositam communicant. His tam Veterum quam Recentiorum scripta quam maxime repleta sunt, ita ut ingens volumen ne quidem com-
pre-

[a] Pestalossi part. I. art. 3. point. 5.

prehendere possit horum descriptiones; ergo tantum hic colligere convenit illa pauciora quæ ab optimo de hoc morbo scriptore Diemerbroeck probata sunt. Nimirum tabaci fumus per fistulam ore attractus; radix helenii, haustus vini absinthitis; aceti vini fortis unius cochlearis assumptio omni mane, quod unum ex optimis præservativis; quidam ad corpus præmuniendum sumunt aquas vitæ ut vocant, sed propter abusum aquæ vitæ plerumque fiunt aquæ mortis; spongia vino rhenano camphorato & aceto theriacali imbuta, naribus objici potest; plurimi valent efficacissima & nobilissima Antidota jam a Galeni tempore hucusque probata ab omnibus fere expertis maximi nominis Medicis, Theriaca Andromachi, Mithridatium Damocratis, Diascordium Fracastorii. Nimirum exhibenda sunt prout Indicatio & Medici prudentia permittat.

XXVII. Pervenimus ad *θεραπευτικὴν*, qui est terminus, cui proprie intendit Medicina. Maxime difficile est hic aliquid certum de curatione pestis affirmare. Primo quia sæpe pestis plane insuperabilis arti existit, ita ut de hoc morbo quam maxime conveniat Ovidii dictum;

Non est in Medico semper relevetur ut æger:

Interdum doctâ plus valet arte malum.

Itaque

Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis,

Quid, rogo, dictamnus, quid Panacæa juvent?

Secundo quia unus auctor refutat quod alter probat; & quod nullum sæpe auxilium habetur tempore pestis ex millenis præscriptis, quibus quamplurimorum libri sca-
tent, quæ ideo ad vanam potius scientiæ ostentationem, quam ad aliorum utilitatem conscripta videntur. Fuê-
re tamen celeberrimi Medici, qui pestem feliciter cura-
vêre, hancque curationem fideliter tradidêre, sed sæpe non
valet hæc in alia pestilenti constitutione, quia pestis diversi-
modo pro varia regione, pro diverso corporum apparatu,
pro mutatione anni temporis, vel pro antecedenti vel super-
venienti alio quodam morbo epidemico multum variare po-
test:

test: ita ut plurima in hac peste valeant, in illa incerta sint, imo sæpe noceant. Sexcenties quidem major præcedentibus est numerus eorum, qui quælibet sua effata tanquam ex Apollinis Tripode deprompta commendant, cum plurima ex his adversus pestem nihil profunt, sed tantum inutilia, fallacia, vel vix parabilia sunt, primo in usum producta vel a vetulis, quæ plerumque habent arcanum quoddam in familia usitatum & inventum a majoribus; vel ab agyrtis aliisque burfarum castratoribus, qui mirabilium mysteriorum jactatores fastuosis suis arcanis ab omni tempore Magnatum non minus quam civium infimæque plebeculæ mentes miris modis effascinarunt. Alii enim has, alii illas nugas summis laudibus ad cælum usque extollunt, imo sæpe temerè gloriantur & juramento affirmant neminem peste infectum vel extinctum fuisse qui has observavaverit. Verum hæc interim horum vanitas non debet derogare fidem & auctoritatem iis medicamentis, quæ experientia à longo tempore demonstravit antidotalibus viribus esse prædita, & tradita ab Auctoribus, qui tanquam inania, & fallacia agnoscunt arcana, quia ipsis major est cura sanitatis quam numerorum. Sunt nimirum imprimis omnia quæ ad præsertionem (§. 26.) commendata sunt, additis radicibus angelicæ, aristolochiæ, dictamni, gentianæ, valerianæ: herbis abrotano, absinthio, acetosâ, carduo benedicto, melissâ, morfu diaboli, rosmarino, ruthâ, scorzonerâ: floribus calendulæ, croci, nymphææ, sambuci: fructu berberis, ribesiorum; pomis aurantiorum, cydoneorum; citreorum cum corticibus: aceto vini simplici, sambucino, calendulato aut rosaceo: nuce moscata, fantalis omnibus: myrrhâ, camphorâ, succino, floribus sulphuris, salibus fixis per unctionem ex vegetabilibus extractis: trochiscis de Viperis, confectione alckermes: Aquis destillatis, Extractis, Syrupis, Oleis, Conservis, Conditis, Pulveribus, quæ ex antecedentibus conficiuntur.

Hæc singulatim aut hac vel illâ formâ mista secundum artem a Medico præscribi possunt. Alia plurima Alexipharmaca

maca ab Auctoribus commendantur sed illa hoc loco enumerare nimis longum fore arbitror, ideo sufficiat me dixisse quæ maxime probata & scitu necessaria sunt.

XXVIII. Antedicta videntur sufficere ad curationem, quæ instituenda juxta has tres Indicationes: 1. ut venenum corpori admissum temperetur, & per spiracula ejiciatur. 2. ut vires diligenter conserventur. 3. ut symptomata omni arte vel prævideri, vel mitigari vel curari possint, & quidem cito, ac celerrime, nam curationis occasionem amittit, qui remediorum usum differt, quia currit hic morbus eo impetu, qui potest esse maximus.

Priori & secundæ Indicationi inserviunt illa quæ (§. 27.) citavimus, habitâ semper ratione virium: eadem tertiæ inservire possunt, tunc & illa, quæ Bubones resolvunt vel maturant, ulcera mundificant & cicatrificant. Symptomata quæ pestis communia habet cum aliis morbis, curantur iisdem medicamentis, quibus curantur in aliis ægrotantibus, semper tamen admiscenda sunt dicta Antidota. Quicquid exhibeatur, hoc fieri debet ab ipso morbi principio nulla interposita mora, ne principio transgrediente grave periculum immineat ægro.

XXIX. Pests aliquando ita violenter sævit ut dicta medicamenta nullius effectus sint, ac tunc sequi possumus axioma *in maximis malis citò, & semel tentanda summa remedia*. Illa vero quæ noceant omittenda, & illa quæ tantum minimum levamen adferunt exhibenda, etsi Chicoygneau (a) in ultima peste Massiliensi, ut & omnes fere qui de peste scripserunt, eamque curaverunt, observaverint crudelissimum hunc tyrannum assumptis Emeticis, Catarcticis vel institutâ missione sanguinis citissime plurimos ad penetralia sua advocasse, tamen si alia non juvant in initio morbi adhibenda, quia hæc pestis ab illa differre potest ob rationem supra dictam. Prius tamen sudorifera qualia enumeravimus, præferenda, quia constat omnium fere observatione hæc præstantissima subsidia a plurimis seculis

(a) Lettre de Chicoygneau a Mr. Gonnin.

lis curationis optatum eventum magis consecuta fuisse.

XXX. Ut melius & clarius innotescat & elucidetur, quomodo pestis curanda sit, antequam finiam antecedentibus adjungam curationem, quam instituerunt nuper celeberrimi viri (a) in peste Massiliensi, cujus symptomata ad quinque classes ab his viris reducta sunt, quas descripsimus (§ 23). Præscribebant hi Medici in usum ægrotantium qui

Prima classe (§ 23) comprehenduntur, Theriacam; Diascordium, Extractum Juniperi, liliorum convallium; confectiones Hyacinthorum, & granorum Kermes; Elixiria ex aromatibus & salibus volatilibus confecta; aquas theriacales, Juniperi Carmelitorum; salia volatilia Viperarum, Ammoniæ, cornu Cervi; balsama & plurima cardiaca.

Ægris secundæ classis (§ 23) præscribebant Emeticum vel Purgans lenissimum, si vires adhuc integræ erant: post assumptum hoc medicamentum dabant Theriacam, quia magna virium dejectio sequebatur: Sed cum plerumque nimis debiles erant ægri omisiss his in ægrorum usum præscribebant Diascordium, pulveres Viperarum, Antimonium diaphoreticum, Crocum orientale, Camphoram &c.

Horum operatio promovebatur potu aquæ scabiosæ, cardui benedicti, juniperi, scordii, rutæ, angelicæ: si sitis vehemens aderat, ægris exhibebantur panis, hordeum, vel oryza cocta cum aqua, in qua solvebatur sal prunellæ; vel nitrum purificatum; addebatur spiritus sulphuris, nitri, dulcificati, vel vitrioli, confectio Hyacinthorum; syrupus limonum, vel vetonicæ rubræ.

Ægri tertiæ classis (§ 23), qui symptomatibus duarum antecedentium classium affecti erant, etiam antecedentibus medicamentis utebantur.

Præscribebant ægrotantibus quartæ classis (§ 23), qui afficiebantur initio iisdem symptomatibus, ac illi secundæ classis, eadem medicamenta. Bubones per emollientia maturabant: sed ægrorum primæ classis Bubonibus apertis lapide infernali

li

(a) Chicoygneau, Verni, & Soulier,

li vel alio corrorente imponebant balsamum Arcæi, unguentum althææ : postea abstergebant vulnus aquâ hordei cum melle & camphora : absterfis & suppuratis his imponebant emplastrum ad cicatricem vulneri inducendam. Carbones scarificabant ad vivum usque : loco scarificato imponebant Theriacam, Therebinthinam, balsamum Arcæi, & si foetor adesset Myrrham & Camphoram : porro iisdem medicamentis curabantur ac Bubones.

Restituebantur ægri, qui quintâ classe (§ 23) continentur, eodem modo in sanitatem ac illi præcedentis classis. Hæc est curationis methodus, quam Medici Massiliæ in nuperâ peste post alias institutas probatiorem invenerunt.

His demum finem imponentes optamus, ne unquam a nobis dicta in usum vocanda sint, & ut ab hoc malo Patria incolumis servetur ; per immensam suam clementiam faxit Deus!

F I N I S.



COROLLARIA.

Pestis est morbus maxime contagiosus:

II.

Non a putredine, vel tetrīs terræ, vel aquarum stagnantium exhalationibus procedere videtur.

III.

Neque a tempestatum certâ constitutione.

IV.

In hoc morbo non convenit V. S.

V.

Neque Catharticum, nec Emeticum fortius.

ORNATISSIMO DOCTISSIMOQUE
VIRO JUVENI

WILHELMO T. HATTINGA

Medicinæ Doctori creando.

Piërides parvo teneroque favete labori:
Summo parva Deo victima sæpe placet:
Gratulor ergo tibi, doctissime Doctor amice;
Dum te Doctorem Leyda Batava creat.
Vere coronatus, fœcundo semine lætam
Nunc messem, largo ut fœnore reddit ager;
Sic qui jam primis semper mihi notus ab annis
Ingenui pandis maxima dona tui.
Majorum te etenim sic gloria splendor avitæ
Virtutis stimulant, dulcis amice magis.
Tu sine fastidio studiosâ indagine semper
Divini Hippocratis scripta legis medica.
Non curas somnum, non das tua membra quieti,
Sed tacitas noctes sæpe studendo teris.
Dum quæ sunt late per multa volumina sparsa
Colligis: hinc studii das modo signa tui.
Perge placere bonis, studiis incumbere perge:
Mascula sic virtus crescet honore tua.
Præmia sic crescent, cœli sic ibis ad astra
Sic dulcis Patriæ gloria dulcis eris:
Nec te cessabunt memores laudare Camænæ;
Sed vives cœli fidera donec erunt.

Sic applaudit singulari suavissi-
moque suo amico.

J. C. DE JONGE. J. U. D.

A M O N S I E U R
GUILLAUME T. HATTINGA.
sur sa Dissertation Inaugurale
de la PESTE.

T oi, qui par l'avantage
D'une vaste erudition
Destruis de la contagion
Le funeste ravage,

Recoy le juste hommage
De vœux & d'admiration.
Le Ciel pour comble de ce don
Y joindra son suffrage.

Les Dieux t'accordent leurs faveurs,
Et doivent d'immortels honneurs
Au Renom qui te flate :

Car c'est un arrêt des Destins,
*Que pour guerir les Maux Divins
Il faut un Hippocrate.*

J. F. HELVETIUS.
Doct. en Med.

To my honourd Friend

Mr. WILLIAM T. HATTINGA,

On his taking his degree in Physick at Leyden.

*As from some mountain's craggy brow
We see with pleasure break below
The whiten'd waves, tho' tost with winds
The helpless ship no harbour finds:
So when HATTINGA's studious care
Gives us our Neighbours woes to hear
We the same pleasing painfull passion show,
And bless the hand that limited the blow.*

*Show me that threefold breast of steel
Who can (and not strange horrors feel)
See heaps on heaps promiscuous lye
Who only gaz'd and gasp'd to dye,
See virgin, lover, husband, wife
And babes with but a taste of life
The pois'nous vapour in their sighs convey,
And groan, their jad remains of life, away.*

*Avert thou alldisposing hand
From this, and from the neigh' bring land
The tyrant scourge, nor let it be
A foe to Truth and Liberty:
Nor fear my Friend to want a name,
Since you know others paths to fame:
In storms the Pilot's greatest art is known
But skill in smoothest waters may be shown.*

A. MACKENZIE.
J. U. S.

Op de Verheffing
Van den HEERE
WILLEM T. HATTINGA,
Tot Doctor in de Geneeskunde.

Wat galm komt tot myn oor door dikke wolken breeken?
Het is Apol, die schynt verbeugt,
En matigt naauwlyks zyne vreugt,
Om dat hy 't hooft zyns Soons met lauren gaat besteecken.
Die kloek en onvermoeyd geen arbeyd heeft gespaart
Om te verkrygen met veel roem
De wetenschap van kruid en bloem,
En van al het geen met Geneeskunst is gepaart.
Dit wyft ons aan dit schrift de blyke van zyn lust
Geschreeven in een net verhaal
Wat dat de Pest zy voor een quaal
En door wat middelen die dient te zyn gebluft.
Hy toont ons dit klaar aan, vermits hy nooyt vervaart
In Vrankryks afgelege hoeken
Dees' siekte naarstig ging doorsoeken,
Op dat hy kennen soud zyn doodelyken aart.
Hier door gy nu myn Vrind, zyt tot het hoogst geklommen
En krygt eind'lyk in Pallas kerk
Verdiende loon voor al uw werk
En wort een Priester van Apollos heyligdommen.
Gaa voort, en volgt vol moet soo der geleerden spoor;
Houd aan met het leesen der boeken
Nog meerder wysheyt op te soeken
Soo breyd sig uyt uw Naam de gansche wereld door.

E. M. B.
M. St.